



PRÆCONSULES ET CONSULES REGIÆ CIVITATIS THORUNIENSIS.

1709. Thorun'.



Niverſis & Singulis, quorum intereſt, notum teſtarumq; facimus.
Gratulandi Neceſſitatem ſibi impoſitam credebant Utriuſque Civitatis Scabini, cum quendam è Collegiſ ſuis nova Honoris, hoc eſt, Scholarchaliſ acceſſione, Superiorum placito nuper inſignitum reſcirent. Quare non Ore ſolùm hoc Studii genus eſſari, verum & prælo publico exponere delectabantur. Primâ ſpecie honeſta videbatur intentio, utpote humanitatem æque ac benigni affectus Conſtantiam præ ſe ferens: Sed penitius rem intuenti non temere ſuſpicari licebat, ſubeſſe quid aliud, quam quod genuinam gratulationis faciem mereri poſſet. Nec tamen ideo ſuperre ambigua, & nondum manifeſte injurioſa limam adhibere, multo minus à prælo arcere conſultum videbatur Gymnaſii Noſtri Proto-Scholarchæ, quod amplius, per binos è Scabinorum Numero in ædibus ſuis coram ſalutato, ne forte, quod vel mediocriſ concedi ſvevit, integro Collegio, in re merum amorem ſpirante, obicem ponat. Factum proinde, ut plagulam, tunc adhuc ſine Titulo, cum ſine Verborum: Nutantis Gloria Pindi: conſcriptam, in Typographeum ipſe remitteret, nihil minus ſuſpicans, quam, quæ poſt enata eſt, eluſionem. Dum enim Feria Sexta poſt Dominicam Quæſimodogeniti, hoc eſt die 12. Aprilis reſita agebatur, erupit poſtridie in lucem annexa Allocutioni Utriuſque Civitatis Scabinorum, ad Spectabilem Jacobum Henricum Zerneke, appendix infeſta prorfus ac deformis. Quid ea ſibi velint autores haud obſcure patet, minus videlicet fuiſſe curæ amanter gratulari alteri quam Inculpationum fuligine obſcureſcere velle alterius agnitam ſemper integritatem. Quod an Muneri hominum, qui de Jure interrogati bene ſapienterque reſpondere & reſ in Civitatis ſalute poſitas circumſpectè ponderare, ubique rectè & juſtè in actionibus quibuſvis verſari debent, conveniat, quivis facile judicabit. Jam enim non Viri ſolum probi, & Doctrinâ juxta ac Eruditionis præſtantiâ, & in regendo Gymnaſio dexterrate verè commendandi, famam lacerare ſunt auſi, ſed inſimul publicæ Cenſuræ reos ſe facere non erubuerunt, dum, quod Typis indignum judicari ipſimet prævidebant, fallaci diſſimulatione celantes, mox ipſa Nocte concubia Typis ſuppoſuerunt, & hoc ipſo Typographeum Jurisdictioni Noſtræ proprium, ad excipiendâ ejus generis commata neutiquam deſtinatum, indecenter uſurparunt. Nos itaque pro officii Noſtri, quo fungimur, poteſtate, ut ulteriori iſtiusmodi convitiandi licentiæ modus ponatur, poſtquam nihil eorum, quæ ad inveſtigandum allocutorem illum otioſum, qui ſub titulo integri Collegii latitat, facere quomodocunque videbantur, intermiſimus, nec tamen eveſtigare potuimus: Partum iſtum deformem in dictâ allocutione fallaciter ſuppoſitum, damnatum eliminatumque ex hac urbe volumus, prout damnamus atque eliminamus præſentibus: Seriam quoque animadverſionem de eo, quem amarulenta hæc Scommata vel cooperando, vel defendendo, vel transmittendo, vel alia quacunque ratione diſſeminando, ſua feciſſe conſtiterit, ſumpturi. Actum & Datum in Seſſione Noſtra Ordinaria d. V. Junii. An. 1709.